



Venerabili Fratri

**IOANNI CAROLO MARIAE BREGANTINI, C.S.S.**

Archiepiscopo Metropolitanae Campobassensi - Boianensi

Incumbentes muneri gratulationis Nostrae propter ministerium a te expletum aliquo praecipuo signo significandae tibi, qui die VII proximi mensis Aprilis ordinationis episcopalis argenteum celebrabis iubilaeum, pastorem ardorem tuum censem recolere. Utpote enim in Ecclesia Pastores, egenorum ploratus potissimum audientes, eorundem necessitatibus subvenire conamur nosque fautores et quasi apostoli existimamus salutaris verique nominis progressionis fieri, quae ponenda revera est in Pane illo cotidiano cunctis parato, unde fraterna caritas quasi efflorescat providentisque Dei auxilium perspicue significetur (cfr s. Paulus VI, *Populorum progressio*, n. 86).

Diutinum tuum pro bono gregis Domini pastorem famulatum evolvisi primum in Congregatione a Sanctis Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi, in qua anno MCMLXXVIII Crotonae presbyteratu auctus es, dein in dioecesi Locrensi - Hieracensi ac demum in archidioecesi metropolitana Campobassensi - Boianensi, ad quam clarus Decessor Noster Benedictus XVI te vocavit regendam. Libentes spiritualium Ipsi meminimus meditationum, quas Nobis et universis christifidelibus proposuisti in Via Crucis apud Colisaeum feria sexta in Passione Domini anno MMXIV celebrata.

Hanc praecipuam recolentibus occasionem, acceptissimum est Nobis plurima memorare quae, decurrentibus annis, ministerium tuum coram populo Dei speculum fecerunt ferventis apostolatus, copiosa christifidelium clerique aestimatione comprobati. Compertum habemus te, in anxiis clamoribus

societatis quasi stigmata contemplantem Christi, vocatum summopere animadvertisse, ut fratribus sororibusque opem implorantibus iugiter tuas dedares aures. Quos insuper alacri labore et erecto animo iugiter suscitasti ad recogitandum de misera calamitosaque fortuna proximi et ad praebendum ei, fraterno semper amore recepto, integrae vitae exempla atque germanae sane et efficacis christianae caritatis.

Tibi ergo gratulantes, Venerabilis Frater, de operibus tuis in vinea Domini peractis, Deum exoramus, ut te gregemque tuum conservet bonis semper operibus eruditos et concedat, ut in ministerii caritate inveniaris alacriter semper ambulans.

Horum donorum conciliatrix interea et nuntia peculiarisque Nostrae caritatis testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi universoque clero et populo tuis curis concredito omnibusque celebrationem iubilaei participantibus atque illis omnibus, quos caros in corde habes, communicandam peramanter impertimur, dum preces simul expostulamus, ut pergrave Petrinum munus diligenter et sapienter adimplere possimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIX mensis Martii, anno MMXIX, Pontificatus Nostri septimo.

*Franciscus*